



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio XII. De discursu Fidei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO DUODECIMA.

De discursu Fidei.

INTER implexas, quæ in intricatissimo hoc de Fide tractatus continentur difficultates, hac infimum locum non obtinet, ut ex Theologorum hac de re inter se dissensione, oppositisq; sententiis, ac variis tum ab auctoritate tum ratione ductis in utramque partem argumentis constat. Hac porrò questio ad completam objecti formalis Fidei, divina scilicet revelationis, de qua suprâ Disputatione quartâ latè dictum est, notitiam pertinet, naturamq; ejus & proprietates perfectè declarandas: eam proinde hic explicandam existimo.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Fides sit discursiva.

I.
Discursus est mentalis quidam cursus, & tres, aut saltem duas intellectus operationes includit.



Discursus, ut Disp. 6. Logica dixi, Sect. 1. num. 3. est mentalis quidam cursus, quo sicut corpus de loco in locum, ita anima de veritate in veritatem actibus intellectus velut quibusdam gressibus incedit, & ex cognitione rei notæ ad ignotam, vel saltem minus notam cognitionem progreditur.

Tres proinde, aut duos saltem actus includit. Hinc Deus, qui res omnes unico indivisibili actu perfectissimè cognoscit, proprium & formalem discursum non habet, quicquid sit de virtuali, de quo dictum est Tomo præcedente.

II.
Questio est, utrum ab omni actu Fides accipiatur immediatè debeat divina revelatione.

Ad præsentem difficultatem supponimus actum conclusionis non attingere objectum præmissarum.

III.
Prima sententia docet fidem esse discursivam.

Præsentem itaque difficultas in hoc sita est; cum enim Disput. 4. & alibi sæpè dixerimus actum Fidei niti revelatione divinâ tanquam objecto formali, dubium esse potest, utrum immediatè cœniti debeat, ita nimirum ut in omni actu Fidei attingatur formaliter dictio Dei, expressè affirmando, *Credo Adamum comedisse pomum vetitum quia Deus dixit?* an sufficiat ut mediatè eam attingat, ita scilicet ut revelatio per unum actum cognita inferat alium actum quo assentiatur quis rei revelata, quo tamen posteriore actu revelatio non omnino attingitur. Exempli gratia, in hoc discursu: *Quicquid Deus dicit, est verum, Deus dicit Abelem fuisse justum, conclusio solum dicit, ergo verum est Abelem fuisse justum, & non hoc totum, ergo verum est Abelem fuisse justum quia Deus hoc dicit.* Suppono autem ex Disp. 47. Logica, sect. 4. assensum conclusionis non attingere immediatè & formaliter objectum præmissarum, alioqui huic quæstioni non esset locus.

Prima ergo sententia affirmat actum Fidei esse discursivum: ita Gabriel in 3. Dist. 23. q. 2. art. 1. Durandus ibid. Dist. 24. quæst. 1. idem tenere videtur Vasquez 1. part. Disput. 5. cap. 3. & 1. 2. Disp. 201. Becanus cap. 8. q. 3. Molina 1. p. q. 1.

art. 7. Disp. 1. Lugo, Hurtado, & alii. Dicunt itaque hi Auctores actum conclusionis ex uno vel duobus actibus præcedentibus generatum, quorum unus ad Dei veritatem evidenter cognitam, alter ad revelationem cognitam obscure, terminatur; hunc, inquam, actum dicunt esse actum Fidei, cum in hoc casu assentiatur quis objecto propter revelationem, non quidem hoc actu, sed præcedentibus cognitam, ut in hoc & similibus syllogismis: *Quicquid Deus revelat, est verum, Deus revelat dari Trinitatem, ergo verum est dari Trinitatem;* ubi ex connexione veritatis ac Trinitatis cum revelatione tanquam cum medio termino in præmissis, connectuntur eadem inter se in conclusione, quamvis ab hac revelatio non attingatur.

Secundatamen, eaque multo probabilior sententia asserit fidem non esse discursivam, sed uno simplici actu per modum Fidei tendere vel in solam revelationem, illam scilicet solam credendo, ut cum dico, *Credo Deum revelasse Evam comedisse pomum vetitum;* vel simul cum revelatione credendo etiam rem revelatam, ut *Credo Evam comedisse pomum vetitum, quia Deus dixit;* ubi ut constat, duo creduntur, & Evam pomum illud comedisse, & Deum id dixisse, seu revelasse: ita Caietanus hic, quæst. 1. art. 1. ad dub. 4. Ockam quodlib. 3. quæst. 7. Vega 6. in Trident. cap. 39. Valentia hic, quæst. 1. puncto 2. Suarez hic, Disp. 6. sect. 4. num. 4. Canus lib. 12. de locis, cap. 3. Turrianus hic, Disp. 6. dub. 1. Coninck hic, Disp. 9. dub. 7. & alii.

Ex plurimis, quæ ad hujus probationem sententia, afferri solent rationibus, illa mihi videtur efficacissima; actus quippe Fidei is est, qui divinâ auctoritate nititur tanquam objecto formali, at verò conclusio, seu assensus ex duobus præmissis deductus, hoc non facit, ergo non est actus Fidei. Major ab omnibus admittitur, estque ipsa Fidei definitio: minor probatur; actus namque discursivus ad duos alios actus per modum conclusionis secutus, extrema tantummodo, non medium terminum representat, ut in hoc discursu: *Quicquid Deus dicit, est, Deus dicit Saram risisse, ergo Sara risit:*

Dicunt multi hanc conclusionem esse actum Fidei quia est ab revelatione.

IV.
Secundâ sententia negat fidem esse discursivam.

V.
Principua ratio est Fides non sit discursiva.

¶ *ostenditur
actum hu-
jusmodi ex
duobus pra-
missis de-
ductum non
esse actum
Fidei.*

Sara visit: hæc conclusio nullum aliud habet ob-
jectum, præter risum Saræ, nec quidquam repræ-
sentat, nisi quod iudicium simplex repræsentat-
ret, quod absolute, & non per modum con-
clusionis diceret, *Sara visit*: sicut in hoc & aliis
syllogismis in materiâ naturali: *Omnis equus est
humbilis; Bucephalus est equus, ergo Bucephalus est
humbilis*; hæc conclusio medium terminum non
repræsentat, sed tantum extremâ, particula enim
ergo, ut ostendi Disp. 47. Logicæ, sect. 6. so-
lùm denotat hunc actum esse ex duobus aliis de-
ductum.

VI. *Angelus
hunc actum
ergo Sara
visit intuen-
tescit utri-
usque Fides an
opinio.*

Unde Angelus intuitivè actum illum, *ergo Sara
visit*, cernens, sciet quidem esse conclusionem,
propter diversum modum tendendi per particu-
lam illam *ergo* expressum, sicut scit utrum actus
aliquis sit apprehensio an iudicium, propter di-
versum modum tendendi actus, quamvis idem
planè sit utriusque actus obiectum: nullo tamen
modo sciet conclusionem illam esse Fidem, etiam
in hac sententiâ, cum ex vi illius actus discernere
nequeat ex quibus præmissis sit deductus, cum
tamen intuitivè eum videns scire deberet esse
actum Fidei, si revera sit talis, sicut videns ap-
prehensionem scit esse apprehensionem, & sic
de aliis, ergo ut actus aliquis sit verè & propriè
Fides divina, tendere debet immediatè in revela-
tionem, & illam habere pro obiecto terminativo,
& intrinseco.

VII. *Aliunde de-
claratur
quo pacto
actus Fidei
immediatè
attingere
debeat re-
velationem.*

Secundò probatur Fidem non niti discursu,
sed esse assensum simplicem, quo rem revelatam
credimus propter revelationem, ita ut utraque
immediatè ab illo actu attingatur. Hujusmodi
quippe actus, qui simul in obiectum revelatum
& revelationem tendat, non est impossibilis, imò
ut rectè Suarez hic, Disp. 6. Sect. 4. num. 4.
de facto datur, ut in hoc syllogismo, ex quo ad-
versarii suas conclusiones de Fide deducunt:
*Quicquid Deus dixit est verum, Deus hoc dixit, ergo,
ubi minor saltem propositio creditur, seu cog-
nosceitur per Fidem immediatè, tum quia nulla
sunt principia, ex quibus hic actus certò dedu-
catur, tum etiam quia alioquin dabitur proces-
sus in infinitum: ob quam causam in Logicâ dixi,
dari necessariò debere in scientiis actus aliquos
scientificos immediatos, ne scilicet procedatur
in infinitum.*

Dari neces-
sario debent
aliqui actus
Fidei non
discursivi.

VIII. *Nil obstat
quo minus
actus Fidei
feratur si-
mul in re-
velationem
& rem re-
velatam.*

Deinde inquiri quænam in hoc sit repugnan-
tia, ut nimirum actus Fidei immediatè, & sine
discursu feratur simul assensu simplici in revela-
tionem & rem revelatam? Dices, in eo sitam esse
repugnantiam, quòd in mysterio credendo extre-
morum connexio sit obscura, unde necessarium
est ut prius quis assentiatur revelationi, & inde
determinetur ad assensum obiecto revelato præ-
bendum. Sed contra; revelatio enim ipsa non
est minus obscura, quàm res revelata, si ergo
ex motivis credibilitatis assentiri intellectus pos-
sit firmiter revelationi ex imperio voluntatis, ergo
& propter revelationem hoc modo cognitam
assentiri similiter poterit rei revelatæ, & utrum-
que eodem actu credere, nec ulla dari ratio po-
test, cur ad hoc requirantur duo actus distincti;
imò ipsa etiam experientiâ constare videtur nos
eodem actu & revelationem & rem revelatam at-
tingere, atque hanc propter illam credere. Deinde,
cum modi tendendi in revelationem im-
mediatè seu per simplicem assensum, & per discursum
sint diversissimi, ad eundem Fidei habitum
non videntur posse pertinere.

Experientiâ
constare vi-
detur eodem
actu ferri
nos in reve-
lationem &
mysterium.

IX.

Alia etiam adducuntur rationes ad probandum
R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II.

Fidem non niti discursu: supra enim Disp. 9.
Sect. 2. & 3. ostendi Fidem divinam certioram
esse quacunque scientiâ naturali, hoc autem non
ita esset, si Fides foret discursiva, eodem enim
cum aliis scientiis niteretur principio, nempe,
*Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, &
certitudinem suam merè hauriret, sicut illa ex
connexione extremorum cum medio termino in
præmissis, sicque par esset illarum cum divinâ fi-
de certitudo: nullus quippe assensus certior esse
potest ratione formali, quâ nititur, hæc autem,
ut vidimus, Fidei Theologicæ in hac sententiâ,
cum scientiis naturalibus est communis. Deinde,
cum n. 7. ostenderimus possibiles esse, imò de
facto dari actus Fidei, qui immediatè & per sim-
plicem assensum ferantur in divinam revelatio-
nem, hi actus, cum solâ revelatione & divinâ
auctoritate tanquam ratione formali nitantur;
erunt longè certissimi, & certiores multò illis,
qui nituntur discursu, & rationem formalem ha-
bent inferioris ordinis, nempe principium illud
naturale, in quo forma syllogistica fundatur.
Alia contra Fidem discursivam adduci possunt
argumenta, quæ tamen, quia minus efficacia,
omitto.*

¶ *Sequitur
Fidem divi-
nam non esse
certioram
scientiis na-
turalibus.*

¶ *In hac etiam
sententiâ
aliqui actus
Fidei divi-
nae essent
certiores
aliis.*

SECTIO SECUNDA.

Argumenta contententia Fidem esse
discursivam.

OBJECIES primò: Quoties uni rei prop-
ter aliam distincto actu assentimur, est dis-
cursus, sed hic uno actu credimus Deum hoc vel
illud revelare, deinde alio actu distincto credi-
mus rem revelatam propter revelationem, quàm
actu priori credidimus, ergo hæc conclusio est
& actus discursivus, & Fides, sicque Fides est
discursiva, ut in hoc & similibus discursibus con-
stat: *Quicquid Deus dicit, est, Deus dicit esse Tri-
nitatem, ergo est Trinitas.*

I. *Objec-
tiones actu di-
stincto
numm cre-
dimus pro-
pter aliud;
est Fides.*

Respondetur tres hujusmodi actus posse à se
invicem distinctos formari, nego tamen tertium,
seu conclusionem esse actum Fidei. Dico, est
propter auctoritatem & testimonium divinum,
ergo est actus Fidei. Nego antecedens, aucto-
ritas enim & testimonium divinum ab illo non
attingitur, sed est propter identitatem obiecti
sui non cum revelatione, sed cum obiecto à Deo
revelato, in formâ syllogisticâ deductam. Quòd
verò obiectum illud afficiatur divino testimonio
seu revelatione, non sufficit ut assensus ille dica-
tur esse propter revelationem, ut in aliis constat:
sic enim in hoc syllogismo: *Omne calidum est sub-
stantia, ignis est calidus, ergo ignis est substantia*, hic
inquam, etsi calor afficiat obiectum identificatum
cum aliquo calido, sicut testimonium Dei afficit
obiectum identificatum cum aliquo revelato, cal-
or tamen non est ratio cur hic & nunc conclusio-
ni illi assentiatur, *ergo ignis est substantia*, sed ratio
assentiendi est identitas ignis cum aliquo calido.

II. *ostenditur
conclusio-
nem illam
non esse a-
ctum Fidei.*

¶ *Ad actum
Fidei non
sufficit, quòd
revelatio
afficiat ob-
jectum cre-
ditum.*

Urgebis: Hic actus sufficit ad salutem, si quis
illum habeat de obiecto, quod necessitate mediè
est credendum. Respondetur, quàmvis si sit
actus supernaturalis, gratia seu concursus supe-
rioris ordinis ad illum requiratur, si tamen actus
Fidei propriè dictus de mysterio necessitate me-
diè credendo sit ad salutem necessarius, & non
sufficiat actus aliquis supernaturalis, etsi non sit

III. *Conclusio
illa, si sit
supernatu-
ralis requi-
rit concu-
sum super-
naturalem.*



Tom. II.

Alius actus simul elicitur, sufficiens ad salutem.

rigorose Fides; dico, inquam, hunc actum ob motivum formale discursus elicitum, ad salutem consequendam non sufficere. Adde nihilominus, ut plurimum contingere, ut ubi hujusmodi assensus ex motivo discursus est elicitus, & per eum objectum formale Fidei intellectui propositum, ut plurimum inquam contingit, ut proprius actus Fidei, seu immediatè terminatus ad divinam auctoritatem ac testimonium eliciatur, qui ad salutem consequendam sit sufficiens.

IV.
Objic. Revelatio est causa actus Fidei, ergo hic generatur per discursum.

Objicies secundò: In Fide divina credit quis rem revelatam propter revelationem, ergo revelatio est causa hujus assensus, esse autem nequit illius causa, nisi hic actus sit conclusio, & producatur per discursum: quare revelatio prius naturâ movere debet intellectum ut objecto revelato assentiat, ergo & per actum distinctum cognosci eam oportet, & hoc modo objectivè determinare ad illius rei assensum. Respondetur, revelationem esse quidem objectum formale actus Fidei divinæ, non tamen ad hoc est necessarium ut præviè per actum distinctum cognoscatur, & hac ratione ad assensum rei revelatæ determinet, sed disposito intellectu per motiva credibilitatis, quæ eò omnia tendunt, ut ostendant mysterium aliquod esse à Deo revelatum, eodem actu indivisibili assentitur quis revelationi & rei revelatæ, & hanc propter illam credit; sicut essentia divina est objectum formale respectu creaturarum, quæ in Deo videntur, & eodem actu materiali videt quis lucem & colorem, & hunc propter illam. Quare revelatio non est propriè causa actus Fidei à priori, seu per actum distinctum ad illum præviè determinans, sed eodem actu homo mysterio & revelationi præbet assensum. Unde congruentius diceretur ratio formalis actus Fidei, quàm causa.

Declaratur quo pacto revelatio sit objectum Fidei divina.

Revelatio divina non est à priori causa actus Fidei.

V.
Fides non solum non est discursus formalis, sed nec virtualis.

Objicies tertio: In actu Fidei est discursus virtualis, quidni ergo similiter in eo esse potest discursus formalis. Respondetur negando antecedens, tunc enim solummodo est discursus virtualis, quando eodem indivisibili actu attinguntur objecta præmissarum & conclusionis, assentiendo scilicet objecto illi; quod in formali discursu esset conclusio, propter identitatem, quam habet cum objecto præmissarum, hoc autem non contingit in actu Fidei, ut ostensum est Sectione præcedente.

VI.
Quo sensu Fides sit argumentum non apparetium.

Objicies quarto: Fides habitualis ad Hebræos c. II. definitur *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparetium*: argumentum autem hoc loco significat propriè discursum. Sed contra, eodem loco, ut vidimus, Fides vocatur substantia, quod tamen propriè intelligi non potest, cum sit accidens: sicut ergo dicitur substantia tantum per similitudinem, quod nimirum sicut substantia substat accidentibus, estque eorum basis & fundamentum, ita Fides sit fundamentum Spei, ita dicitur *argumentum*, non quod actus Fidei sit discursivus, sed quod non minus certos nos de re illâ reddat, ad quam terminatur, quàm quicumque actus comparatus per discursum. Unde Theophilactus *argumentum* hoc loco vertit manifestationem.

Quaratione Fides sit sperandarum substantia rerum.

VII.
Fides humana propriè dicta generatur sine discursu.

Objicies quinto: Actus Fidei divinæ & humanæ sunt in ratione Fidei ejusdem rationis, sed actus Fidei humanæ, ut experientiâ constare videtur, generatur per discursum, ergo. Respondetur utramque Fidem quoad hoc pari passu procedere; unde etiam Fides humana propriè dicta non generatur per discursum, sed immédia-

tè & per eundem actum terminatur ad dictionem hominis, & rem ab eo dictam. Hujusmodi ergo actus in humanis per discursum acquisitus non est propriè Fides, sed quædam opinio naturalis. Quare non satis consequenter loquitur P. Cornick Disp. 9. dub. 7. num. 102. dum ait conclusionem hoc modo deductam, esse Fidem humanam, saltem virtualem. Hoc, inquam, non rectè dicitur, Fides namque humana est verè Fides, & inter eam & divinam, non formalis, sed materialis tantum est discrepantia, quatenus scilicet hæc multo perfectior est, firmioribusque nititur principiis. Quemadmodum etiam Deus est Ens multo perfectius quàm homo aut Angelus, hi nihilominus tam fortiuntur rationem propriam entis, quàm Deus, ut in Logicâ ostensum est.

Hic actus discursivus, est quidam opinio naturalis.

Inter Fidem divinam & humanam materialis tantum est differentia.

Ad pleniorè doctrinæ, hac, & præcedente Sectione traditæ intelligentiam quæres, quis sit simplicis illius assensus Fidei, quo rem revelatam propter revelationem credo, sensus; quid, inquam, dicat hic actus, *Verbum est incarnatum, quia Deus dixit*. Certum imprimis est, sensum illius propositionis non esse, *Ego judico Verbum esse incarnatum quia Deus dixit*; hic enim actus non reflectit supra seipsum, ut est manifestum: nec etiam sensus illius videtur esse, *Verbum est incarnatum quia Deus dixit*; quasi dictio divina esset causa cur Verbum sit incarnatum: hoc enim constaret esse falsum, dictio enim Dei nullo modo influit in Incarnationem, imò hæc dictionem, seu revelationem antecedit; nec enim revelare posset Deus factam esse Incarnationem, nisi esset facta.

VIII.
Declaratur quis sit sensus huius, & similitum actuum Fidei. Anima est immortalis quia Deus dixit.

Ad hanc difficultatem respondeo, hunc actum neutro modo procedere, nec supra se reflectere, dicendo in actu signato se hoc propter auctoritatem divinam & revelationem judicare, sed propter eam judicat in actu exercito, ita tamen ut auctoritas & revelatio formaliter per illum actum repræsententur. Disposito itaque intellectu per motiva credibilitatis ad judicandum dari talis mysterii revelationem, assentitur utrique, & revelationi scilicet & rei revelatæ, huic tamen propter illam: unde revelatio est hic objectum formale, cum sit ratio motiva, seu inducens intellectum ad simplicem hunc actum eliciendum. Non ergo est Incarnatio propter revelationem, sed propter revelationem dicitur esse, non in actu signato, ita ut actus reflectat supra se, sed in actu exercito. Aliud proinde est propter revelationem credere esse Trinitatem, aliud credere eam esse propter revelationem; hoc enim secundum denotat revelationem esse causam existentie Trinitatis. Unde revelatio est causa assensus, non rei revelatæ, ut est manifestum. Alii probabiliter dicunt *Quia* in præsentem idem esse ac *Quandoquidem*, & denotare solummodo connexionem inter revelationem & rem revelatam; quod eodem puto recidere cum solutione præcedente.

IX.
Hic actus non reflectit supra se, sed in actu exercito hoc judicat quia Deus dixit.

Aliud est propter revelationem credere esse Trinitatem, aliud credere eam esse propter revelationem.

SECTIO TERTIA.

*Verum quando utraque, vel una saltem
præmissa est de Fide, conclusio
objectiva sit de Fide.*

I.
*Preponitur
status pra-
sensu diffi-
cultatis.*

DIXIMUS actum conclusionis ex duabus præmissis per formam syllogisticam deductum, non esse actum Fidei, cum non auctoritate divinâ, sed discursu nitatur, nec ad revelationem Dei immediatè terminetur, quod in actu Fidei ostendimus omnino esse necessarium. Nunc ergo ulterius inquirimus, utrùm materia, seu objectum huiusmodi conclusionis sit de Fide, seu tale, ut actus Fidei circa illud elici possit, si nimirum debito modo, immediatè scilicet propter auctoritatem divinam in rem illam tendat, ita scilicet ut erraret circa Fidem, qui eam negaret. Debent quidem actus aliqui intellectus, seu discursus antecedere, non ut causa huius assensus, sed ut aliquid proponens objectum, & hoc modo intellectum disponens ad actum Fidei elicendum, seu ad objectum illud propter auctoritatem & revelationem divinam credendum.

*Actus aliqui
intellectus
procedere
debent ut
quodammodo
dispositio.*

II.
*Prima sen-
tentia docet
ad Fidem
sufficere re-
velationem
virtualem.*

Prima sententia affirmat objectum conclusionis ex unâ præmissâ de Fide, & aliâ naturali evidente deductâ esse semper de Fide; qui proinde auctores docent assertiones omnes Theologicas esse de Fide; ad Fidem quippe sufficere affirmant quod aliquid virtualiter reveletur: ita Cano de locis, lib. 6. cap. ult. ad 10. Catharinus de gratiâ, assert. 6. Vega lib. 9. in Trident. cap. 39. Vasquez 1. part. Disp. 5. cap. 3. Maratus ibidem, Disp. 2. sect. 5. Tannerus ibidem, Disp. 1. q. 5. dub. 3. qui ulterius addit, etiamsi propositio naturalis non sit evidens, sed tantum moraliter certa, adhuc conclusionem ex duabus illis præmissis deductam, esse de Fide.

III.
*Secunda
sententia
negat vir-
tualem re-
velationem
sufficere ad
Fidem.*

Secunda sententia docet, ad Fidem non sufficere revelationem virtuales, & consequenter objectum conclusionis vel ex unâ de Fide, & alterâ naturali evidente, vel etiam ex duabus præmissis de Fide deductâ, negat esse de Fide: ita Gregorius in Prolog. quæst. 1. art. 4. Major, Okan, Gabriel, Molina 1. part. quæst. 1. art. 2. dub. 1. & 3. Granado ibidem, Disp. 3. sect. 2. idem tenet Capreolus, Caietanus, & alii, videturque communis Thomistarum opinio.

IV.
*Tertia sen-
tentia affir-
mat, quan-
do præmissa
universalis
est de Fide,
omnia sin-
gularia esse
de Fide.*

Tertia sententia asserit, objectum conclusionis deductâ ex unâ de Fide, & aliâ evidente naturali tunc esse de Fide, quando conclusio confusè continetur in illâ præmissâ de Fide: ita Suarez hic, Disp. 3. sect. 11. & alii. Ait ergo hæc sententia, quando revelatio est immediatè de aliquo toto, per eam revelari immediatè omnia singularia, sicque circa unumquodque ex illis singularibus elici posse actum Fidei, si per principium naturale ei applicetur, seu proponatur intellectui.

V.
*Revelatio
duplex, for-
malis seu
immediata
& virtualis
seu media-
ta.*

Ad rem hanc clariùs percipiendam, advertere oportet revelationem duplicem esse, *formalem & virtuales*. Formalis revelatio illa est, per quam res aliqua directè & immediatè ac in se reveletur. Sic Deus immediatè in Scripturâ revelavit, se coelum & terram creasse, Adamum peccasse, &c. Secundò quando est revelatio alicujus totius universalis, tunc enim immediatè, ut proximè dictum est, quamvis confusè revelatio fertur in omnia singularia, ut *omnis homo* immediatè sig-

nificat Petrum, Paulum, Joannem, &c. etiamsi clarè & distinctè per illum terminum communem non exprimentur, sed generatim tantum & confusè.

Revelatio *virtualis* est, quando objectum aliquod non immediatè in se reveletur, sed mediatè tantum, dum scilicet reveletur aliquid, quicum objectum illud habet connexionem, sive realiter ab eo distinguatur, sive non. Ponamus exempli causa potentiam risivam, seu risibilitatem, aliquo modo ab humanâ naturâ distingui: quærimus; cum non sit formaliter revelatum, Christum habere potentiam ridendi, ex eo quòd reveletur eum esse hominem, cum sint objecta distincta; Utrùm saltem reveletur virtualiter, seu an ex connexionem illâ potentie risivæ cum humanâ naturâ conferri debeat de Fide, Christum habere potentiam ridendi.

VI.
*Exponitur
in quo sit
revelatio
virtualis.*

*Fundatur
hæc revelatio
in connexionem
unius prædicati cum
alio.*

Advertendum secundò, non esse hæc questionem, Utrùm præmissæ, ex quibus conclusio illa deducitur, faciant illam de Fide; hoc enim nullo modo ita se habet, imò, ut supra ostendimus, hæc deductio oblat potius actui Fidei, qui non bonitate consequentie, sed divinâ auctoritate & revelatione niti debet. Præmissæ ergo solum ostendunt objectum illud esse de Fide, ita ut actu Fidei debito modo ei applicato, seu qui ad objectum simul & divinam auctoritatem terminatur, credi possit. Præmissæ itaque citius rem evolvendo; clarè ostendunt id contineri in propositione universali; quod antea in eâ continebatur solum obscurè, sicque, ut dixi, non faciunt, sed ostendunt objectum illud esse de Fide.

VII.
*Præmissæ
non faciunt,
sed ostendunt
conclusionem
objectivam esse
de Fide.*

*Quid ad ob-
jectum Fidei
conferans
præmissæ.*

SECTIO QUARTA.

*Assertiones varia de conclusione obje-
ctiva ex unâ præmissâ de Fide
deductâ.*

PRIMA Conclusio: Omne & solum revelatum est de Fide, seu objectum, ad quod proprius actus Fidei divinæ terminari potest. In hoc conveniunt auctores utriusque sententie: & ratio est clara; ubi enim actus aliquis invenit objectum suum formale, potest in illud tendere; ubi non invenit, non potest: objectum autem formale Fidei, ut sæpe diximus, est revelatio & auctoritas divina, seu auctoritas nobis circa rem aliquam per revelationem applicata. Tota ergo difficultas est, quid censetur revelatum, & utrum ad hoc sufficiat, quòd talem cum re revelatâ habeat connexionem, ut ex eâ per discursum, seu præmissas ritè dispositas per legitimam consequentiam deduci possit.

I.
*Nihil est de
Fide, nisi
quod est re-
velatum.*

*Difficultas
totâ est,
quid sit re-
velatum.*

Secunda Conclusio: Ex eo quòd aliquid reveletur, non sequitur omne cum eo identificatum revelari, aut esse materiam Fidei. Exempli gratia, revelari potest Deus esse sapientem, etiamsi non reveletur eum esse ubique, cum hac sint prædicata virtualiter distincta, & vox sapiens non significet ubiquitatem, magis quam vox vitis rosam, aut aquila leonem. Unde si pastor aliquis erudiens puerum dicat, *Deus dicit se esse infinitè sapientem*, nullam faciendo de aliis Dei attributis mentionem, credit puer Deum esse infinitè sapientem, reliqua verò attributa non credit. Quare, ut tomo præcedente in materiâ de

II.
*Revelatio
aliquo, non
revelatur
omne illud
quod cum
eo identifica-
tur.*

Tom. II.

visione dixi, posse unum attributum, non solum cognosci abstractivè, sed etiam intuitivè videri sine alio, ita revelari potest, & credi.

III. Dices: Ergo ex eo quòd reveletur Christum esse hominem, non reveletur eum esse animal rationale, aut constare corpore & animà; nec enim magis identificatur animal rationale cum homine, quàm sapientia Dei cum ejus ubi-quitate, aut justitià. P. Arriaga hîc, sect. 1. concedit consequentiam, & num. 5. ac 6. acriter contendit, quantumvis sit de Fide aliquem esse hominem, non tamen esse de Fide eum esse animal rationale, nec secundùm in primo revelari.

IV. Existimo nihilominus hoc nullo modo admitti debere. Dico itaque cum P. Suarez hîc, Disp. 3. sect. 11. eo ipso quòd reveletur aliquem esse hominem, revelari eum esse animal rationale; non enim sunt duo conceptus distincti homo & animal rationale, sed idem formalissimè, quamvis diverso modo explicentur. Revelato ergo definito revelatur eadem operâ definitio & physica, seu hominem constare ex corpore & animà, & metaphysica; hæc enim tria non sunt conceptus distincti; homo siquidem non est quid simplex, sed formalissimè compositum, nec compositum in communi, sed tale compositum, ergo constans talibus partibus, tum physicis, tum metaphysicis, quamvis per actum, quo quis dicitur homo, non tam clarè & distinctè hæ partes explicentur, ac per actum quo dicitur animal rationale, vel constare animà & corpore. Confirmatur, è contrario enim, si reveletur aliquem esse animal rationale, vel constare animà rationali & corpore, non existimo quemquam negaturum quin ipso facto reveletur eum esse hominem, idque quòd hi conceptus sint formalissimè iidem.

Homo & animal rationale sunt conceptus planè iidem.

V. Urgebis cum P. Arriaga citato: Ergo reveletur, animal rationale esse veram definitionem hominis, cum secundùm nos sit idem formalissimè cum homine. Distinguo consequens, reveletur id quod est vera definitio hominis, seu specificativè, & in actu exercito, concedo consequentiam, reduplicativè, & actu signato, nego; ad hoc namque dici per revelationem deberet, hanc esse veram definitionem hominis, & constare ex genere infimo & differentiâ infimâ, ac servare cæteras bonæ definitionis conditiones; hoc tamen per actum, quo reveletur Christum esse hominem, non dicitur, ut est manifestum. Sicut si res reverà sint in loco per ubicationem distinctam, eo ipso quòd reveletur D. Petrum fuisse Hierosolymæ, aut D. Paulum Damasci, reveletur eos habuisse tales ubicationes, cum idem formalissimè sit esse tali loco, & habere talem ubicationem: non tamen propterea reveletur eos fuisse in loco per ubicationes distinctas, sed solum reveletur illos habere id, quicquid sit, per quod res sunt in loco. Unde quantumvis res ipsæ sint in loco per ubicationem distinctam, qui tamen teneret contrariam sententiam, non incurreret crimen hæresis, hoc negando.

VI. Replebis cum eodem: Ergo qui revelat aliquem esse hominem, revelat etiam eum esse risibilem cum risibilitas non minùs realiter cum homine identificetur, quàm animal rationale. Distinguo consequens: revelat eum esse risibilem virtualiter, concedo consequentiam, formaliter nego, risibilitas siquidem est conceptus, seu prædicatum ratione nostrâ distinctum à naturâ humanâ, seu essentiâ hominis, unde ab Aristotele & Philosophis vocatur passio illius metaphysica. Vox

Qui revelat aliquem esse hominem, revelat eum esse risibilem virtualiter.

Res hæc declaratur exemplo Philosophis verum existentium in loco per ubicationem distinctam.

ergo homo solum impositum est ad significandum formaliter habentem naturam humanam, quòd verò risibilitas cum eâ identificetur, non sequitur illam formaliter per hanc vocem significari, voces namque non significant res prout sunt à parte rei, sed prout in conceptibus, ut supra vidimus n. 2. & qui dicit, *Bucephalus est ens*, ex vi hujus prædicati præcisè, non aliud de eo affirmat, quàm eum habere aptitudinem ad existendum, etsi consequenter fortassis & remotè dicat alia prædicata cum eo identificata, hoc tamen non est illa affirmare de ipso formaliter.

Ad quid dicitur & formaliter significandum imposita sit vox homo.

SECTIO QUINTA.

Alia quadam circa conclusionem objectionum ex unâ præmissâ de Fide deductam.

TERTIA conclusio: Quicquid reveletur formaliter, quamvis confusè, est de Fide, seu objectum aptum, ad quod proprius actus Fidei terminetur. Ratio est: Ubi enim objectum formale Fidei, auctoritas scilicet divina & revelatio invenitur, potest intellectus circa rem illam sic propositam actum Fidei elicere, eamque propter veracitatem Dei, illi per revelationem applicatam credere; nil enim obstat quo minùs potentia quæcunque, sive spiritualis sive materialis, cognoscitiva vel appetitiva, in suum objectum tendat.

I. Quicquid reveletur formaliter, est de Fide.

Hinc infero, quando universalis propositio reveletur, omnia inferiora sub illâ contenta, directè & formaliter revelari, quamvis confusè tantùm in illo universali continentur, & per principium evidens naturale explicatius hoc declaratur, ostendaturque clarè inferiora illa sub termino hoc communi contineri. Ratio est, terminus enim communis, ut supra ostendi, directè & formaliter dicit omnia illa singularia, idque immediatè, & ex vi significationis vocis, per quam exprimitur: sic *omnis homo* significat immediatè Petrum, Paulum, Joannem, &c. & non tantùm ex vi alicujus illationis & consequentiz. Quando ergo reveletur *Omne animal esse creatum à Deo*, eadem operâ reveletur hominem, leonem, aquilam, ac reliquas animalium species & individua esse à Deo creata: imò hæc non sunt duæ, sed una & eadem propositio, diversis verbis tradita, & quicquid est confusionis in primâ propositione, est ex parte nostrâ, Deus namque clarè & distinctè judicat de omnibus, quæ revelat, nos tamen ex vi illius termini communis singulari sigillatim non concipimus, sed confusè tantùm, unde per propositionem naturalem evidentem scimus hæc vel illa individua & species sub universali illâ propositione, ac termino communi contineri.

II. Quando terminus aliquis communis definitur, singularia omnia sub eo contenta definiuntur.

Idem existimo de his & similibus propositionibus, *Omnis homo viâ ordinariâ ab Adamo descendens contrahit peccatum originale. Omnis ritè baptizatus, non ponens obicem, recipit gratiam. Omne Concilium legitime congregatum est infallibile*, &c. ex vi, inquam, revelationis harum propositionum universalium, reveletur directè & immediatè hunc, & illum hominem, adeoque singulos hoc modo ab Adamo descendentes concipi in originali: singulos etiam in secundâ propositione recipere gratiam: Item Nicænum Concilium,

Propositio universalis, eadem est cum propositione de omnibus singularibus.

III. Alie propositiones, quarum objecta sunt de Fide.

Concilium, Tridentinum & reliqua fuisse infallibilia: Deus siquidem, ut dixi, quemadmodum de singulis sigillatim iudicat, ita & singula revelat: unde hæc omnia sunt de Fide.

IV. Ad hoc vero clariùs intelligendum, advertere oportet, aliud esse rem aliquam esse de Fide in se, aliud quoad nos, seu, ut alii loquuntur, de Fide in ratione objecti, non quoad obligationem. Illud omne est de Fide in se, quod est immediatè revelatum, sive speciatim, sive in genere, ut illa omnia sunt, de quibus proximè diximus, quæ nimirum in termino communi, & propositione universalis sunt revelata; hæc, inquam, sunt de Fide in se, seu materia sufficiens ad actum Fidei terminandum, si eorum revelatio sufficienter applicetur, & per propositionem aliquam seu præmissam ostendatur ea in termino illo communi contineri, ut in hoc syllogismo: *Omnis ritè baptizatus, non ponens obicem, recipit gratiam, sed hic infans est talis, ergo.* Ante hanc minorem propositionem, seu declarationem quod hic infans sub propositione illâ universalis contineatur, non erat nobis de Fide cum recipere gratiam, quamvis erat de Fide in se, nunc autem est etiam de Fide nobis, & si sub auctoritate & revelatione divinâ immediatè proponatur, potest actus Fidei circa hoc objectum exerceri.

Aliud est esse aliquid de Fide in se, aliud quoad nos.

Quo pacto ea qua sunt de Fide in se, reddantur de Fide quoad nos.

V. Quæres, quâ certitudine constare per præmissam naturalem debet, hoc vel illud individuum sub termino illo communi, & propositione universalis contineri, ut conclusio objectiva sit de Fide quoad nos? Certum in primis est, quamcunque levem notitiam, seu apprehensionem ad hoc non sufficere, actus quippe Fidei divinæ debet esse prudens, & quisquis eum elicit, iis oportet nitatur fundamentis, quæ arguant eum, non temerè & inconsultè, sed maturè ac solidè procedere, ut supra latè ostensum est, dum de motibus ad Fidem eliciendam requisitis.

Qua certitudo requiritur, ut conclusio objectiva sit de Fide.

VI. P. Suarez Disp. illâ 3. Sect. II. num. 6. ait hoc omnino certè & indubitanter debere constare; ac proinde ut revelatio singulorum in propositione universalis posita, huic vel illi in particulari debite applicetur, asserit principium, seu præmissam naturalem debere esse evidentem. Sed contra: docet enim ipse loco proximè citato esse de Fide, respectu saltem baptizantis, infantem, quem hic & nunc baptizat esse iustum, ex eo scilicet principio generali de Fide, quod verum Sacramentum det gratiam omni non ponenti obicem, certum est autem hunc infantem non ponere obicem: contra inquam hoc est, nam neque ipsi baptizanti evidenter constat, illum, quem hic & nunc abluit, & super quem baptismi formam pronunciat, esse verum hominem, potest namque absolutè esse dæmon in formâ hominis: sicut enim Angelus Raphaël in formâ juvenis apparet Tobitæ, ab eo absque ullâ dubitatione putabatur homo, idem contingere potest in præsentem. Deinde, quomodo omnino certè & evidenter constare ipsi potest aquam, quâ hic & nunc utitur, esse veram & naturalem, cum absolutè loquendo possit vera aqua, quam paraverat baptizans, arte dæmonis auferri, & alia quoad sensum planè similis; non tamen vera & naturalis substitui. Certè, si sermo sit de propriâ evidentiâ, isthæc hoc modo cognosci nequeunt.

Acriter contendunt aliqui ad conclusionem de Fide, præmissam naturalem debere esse evidentem.

Nullum naturale principium ostendit evidenter baptizanti, hunc infantem recipere gratiam.

VII. Probabiliùs itaque mihi videtur, quod affirmat Hurtado hic, Disputatione undecimâ, Sectione tertiâ, §. 25. Lugo hic, Disputatione primâ,

Si hoc vel illud sit de Fide quoad

Sect. decima-tertia, §. 4. num. 313. Taffnerus in Proæm. Theolog. & alii, nempe ut sit de Fide quoad nos, hoc vel illud individuum sub termino communi, & propositione universalis contineri, sufficere certitudinem moralem. Ratio est: nam ut supra vidimus, ad credendum aliquid fide divinâ, sufficit quod moraliter certum sit ex motivis credibilitatis auctoritatem & revelationem Dei esse illi applicatam; motiva siquidem credibilitatis, ut supra vidimus Disp. 8 non habent infallibilem connexionem cum re revelatâ, sed tantum moralem: à fortiori ergo moralis certitudo sufficet ad hoc vel illud individuum, quod in se est de Fide, nobis quod sit materia Fidei declarandum.

nos, sufficit certitudo moralis.

Eadem videtur difficultas hic, atque de motivis credibilitatis.

Confirmatur: Si enim Deus cuiquam revelaret, se omnes Turcarum civitates destructurum, credere is Fide divinâ posset Deum destructurum Constantinopolim, quamvis civitatem illam nunquam vidisset, sed morali tantum certitudine illam esse, & Turcis subesse nosset. Confirmatur secundò: nam, ut rectè P. Suarez Disp. illâ 3. Sect. II. num. 6. est de Fide Concilium Nicænum exempli gratia fuisse infallibilis auctoritatis, tum ex communi omnium consensu, tum quia S. Gregorius quatuor illa prima Concilia habenda esse ait sicut quatuor Evangelia; & alioqui credi non possent tanquam de Fide ea, quæ in illo Concilio erant definita: & idem est de Concilio Tridentino & aliis, ejusdem cum eo auctoritatis. Jam verò, hoc aliunde non constat, quam ex universalis illâ propositione revelatâ, nempe Spiritum Sanctum Concilio omnilegitimè congregato assistere; fuisse autem hæc Concilia legitimè congregata, morali certitudine cognoscimus, ergo &c.

VIII. Exempla moralis certitudinis ad applicationem particularium sufficientia.

Aliunde ostenditur ad applicationem materiam Fidei sufficere certitudinem moralem.

Dices cum P. Arriaga Disp. 6. Sect. I. n. 3. Si ex propositione universalis de Fide, & aliâ moraliter certâ oriatur conclusio objectiva de Fide, sequitur hanc conclusionem esse de Fide, ergo Cicero conceptus fuit in originali peccato, oritur siquidem ex universalis de Fide, nempe *Omnis hominè ordinariâ ab Adamo descendens (Virgine exceptâ) concipitur in peccato originali*, & alterâ moraliter certâ, nimirum *Cicero extitit*: at verò, inquit, repugnat in terminis esse de Fide, quod fuerit in originali conceptus Cicero, cum non sit de Fide eum absolutè fuisse conceptum.

IX. Dices: Non est de Fide hunc hominem esse conceptum, ergo non est de Fide eum conceptum esse in peccato originali.

Respondetur, cum in generali illâ propositione non reveletur directè illum omnino conceptum iri, multo minùs hoc directè & absolutè revelatum est de Cicerone, aut alio quocunque particulari: unde non est de Fide ex illâ generali propositione hanc vel illam particularem personam esse conceptam, sed solùm est de Fide, eum hominem, qui hic & nunc viâ illâ ordinariâ concipitur, contrahere peccatum originale, & hoc dicimus esse de Fide, & in illâ universalis propositione revelari; ad applicationem quippe abundè sufficit moralis certitudo quod hic sit homo, & viâ ordinariâ ab Adamo descendat, ut in simili ostendimus numero septimo & octavo.

X. Respond. ex universalis propositione revelatâ non esse de Fide illum in particulari esse conceptum.

SECTIO SEXTA.

Reliqua circa conclusionem objectivam, quæ ex alterâ præmissâ de Fide deducitur.

I. Virtualis tantum revelatio non sufficit ad actum Fidei.

QUARTA Conclusio: Quod solum est revelatum virtualiter & mediâ ex unâ præmissâ de Fide, & aliâ naturali evidente, non est de Fide, sed solum conclusio Theologica: ita Suarez hic, Disp. 3. Sect. 11. num. 7. Coninck Disp. 9. dub. 9. num. 122. Hurtado hic, Disputat. 12. Sect. 2. Valentia, Molina 1. parte, q. 1. art. 2. Disp. 1. & 2. Lugo hic, Disp. 1. Sectione 13. §. 1. Turrianus 2. 2. Disp. 6. dub. 3. videturque mens S. Thomæ 1. p. quæst. 1. art. 2. idemque docet Capreolus, Caietanus, Gabriel, Major, Gregorius, & alii.

II. Ostenditur conclusio: non ex unâ præmissâ de Fide & aliâ naturali seorsum: si non revelatur formaliter, non esse de Fide.

Ratio est: Nihil enim ob divinam auctoritatem amplecti, seu Fide divinâ credere possumus, nisi quod est à Deo revelatum, illud autem quod solum deducitur ex objecto revelato non est à Deo revelatum, ergo non participat rationem formalem Fidei. Quare, in hoc syllogismo: Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis, hæc conclusio objectiva, seu res ex illis præmissis deducta, non est de Fide formaliter, cum risibilitas, ut in fine sectionis quartæ ostensum est, sit prædicatum ratione distinctum à naturâ humanâ: Unde per vocem homo non significatur; voces siquidem, ut ibidem dixi, non significant res ut sunt à parte rei, sed prout sunt in conceptibus, ut latius declaratum est loco citato.

III. Circa conclusionem objectivam de Fide aliud est de formaliter, aliud de virtualiter revelatum.

Lata ergo hic est disparitas inter ea, quæ Sectione 4. num. 4. & Sect. 5. num. 1. diximus esse de Fide, & inter hoc objectum, animal enim rationale est formaliter homo, & omnis homo est formaliter hic & hic & illo, &c. at verò vox risibilitas non omnino instituitur ad significandam humanitatem, magis quàm sapientia Dei, ejus ubi-quitatem, quæ de re supra Sect. 4. num. 2. Quare priora ex vî divinæ revelationis melius penetratæ cognosci possunt, & ex solâ explicatione terminorum, risibilitas autem, quantumcunque penetraret humanitas, nisi aliud prædicatum accedat, nunquam cognoscetur, & idem est de ubi-quitate Dei respectu sapientia. Unde risibilitas partialiter cognoscitur ex vi præmissæ illius naturalis, sicque conclusio ex his duabus præmissis deducta, nec est Fidei nec purè naturalis, sed mixta, ac proinde Theologica. In prioribus verò præmissis naturalis nihil novi affert ex parte objecti, sed solum applicat distinctè huic vel illi in particulari, quod in præmissâ universali fidei de omnibus revelabatur confusè. Et idem est de homine & animali rationali. Nec etiam propriè revelatur risibilitas implicite, sed tantum remotè, & in causâ, seu radice, sicut calor cognoscitur radicaliter cognito igne, in hoc namque eodem modo se habent proprietates metaphysicæ respectu naturæ seu essentia, ac proprietates physica.

Conclusio ex his præmissis deducta est mixta, scilicet Theologica.

Idem quod hoc est de proprietatibus physicis & metaphysicis.

IV. Præsumitur hæreticus qui conclusionem

Objiciens primò: Qui in hoc syllogismo, Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis, qui, inquam, hanc consequentiam sic deductam negaret, censeretur hæreticus, ergo illa conclusio est de Fide. Respondetur cum Sua-

rio Disp. illâ 3. Sect. 11. num. 12. qui conclusionem illam negaret, præsumeretur quidem hæreticus, censeretur enim potius negare præmissam obscuram, quæ est fidei, quàm naturalem evidentem; re tamen verâ non esset, si solum negaret conclusionem, vel præmissam naturalem.

Objiciens secundò: Credimus Christum esse risibilem quia est homo, & credimus esse hominem, quia hoc à Deo est revelatum, ergo conclusio illa ultimò resolvitur in dictionem divinam, sed quicquid creditur propter dictionem, seu testimonium divinum, est de Fide, ergo conclusio Christus est risibilis, sic deducta, est de fide. Respondetur, ut aliquid sit de Fide, debet totaliter & adæquatè niti divino testimonio, hoc autem non facit dicta conclusio, partialiter enim tanquam motivo formali nititur principio illo naturali, Omnis homo est risibilis: cum ergo utraque præmissa ad illam conclusionem indivisibiliter per modum objecti formalis concurrat, ideo enim illam credimus, quia Deus dicit Christum esse hominem, & quia omnis homo est risibilis, assensus ille, ut numero tertio dictum est, nec est Fidei, nec scientificus, sed mixtus, seu Theologicus.

Objiciens tertio: Homo sine risibili est Chimæra, ergo qui aliquem credit esse hominem sine risibili, credit Chimæram. Distinguo consequens, si erodat eum esse hominem sine risibili negativè, seu negando eum esse risibilem, concedo consequentiam, si hoc credat præcitive, seu non excludendo positivè, sed solum non affirmando eum esse risibilem, nego: sicque Judæi, quando inter ipsos erat vera Ecclesia, dum Deum crederent, non credendo Trinitatem, quæ ipsis erat ignota, non credebant Chimæram, ut omnes fatentur, sed credebant verum Deum, & veros actus diversarum virtutum, charitatis, religionis, &c. circa illum exercebant. Imò est communis doctrina Philosophorum, dum has & similes propositiones in scholis passim formamus: Homo est animal, equus est hinnibilis, &c. nos non facere Chimæras, quamvis hæc objecta inadæquatè concipiamus, non minùs quam cum hominem concipimus sine risibilitate.

Objiciens quarto: Omnia quæ amantur propter Deum sive immediatè, sive mediatè, amantur ex charitate, ergo etiam quod creditur propter testimonium divinum mediatè, sicut, ut vidimus, creditur risibilitas, erit objectum proprium Fidei divinæ. Respondetur, inter charitatem & Fidem hæc in parte latam esse disparitatem; in charitate enim quando objecta, etiam mediata propter Deum volumus, totum & adæquatam objectum, seu motivum formale est divina bonitas. At verò in conclusione ex unâ præmissâ de Fide & alterâ naturali, tota ratio motiva, seu objectum formale adæquatam non est solum divinum testimonium, sed etiam præmissa naturalis, ut ostensum est numero quinto.

Objiciens quinto: Ad Fidem spectat illud omne, quod directè sequitur ad rem revelatam, sed risibilitas in Christo sequitur directè ad humanitatem revelatam, ergo spectat ad Fidem, & consequenter credi potest Fide divinâ. Respondetur negando majorem, id enim quod sequitur ad rem revelatam non creditur propter revelationem, sed propter connexionem, quam cum re illâ habet; Fide autem divinâ credi nihil potest, nisi quod creditur propter solum testimonium & revelationem divinam. Ad id verò quod objiciunt

illam negare non est.

V. Illud est de Fide quod resolvitur in testimonium divinum adæquatè, non tantum partialiter.

VI. Qui hominem esse credit sine risibili positivè, faceret Chimæram, non qui præcitive.

Imò quod aliquis concipiendo non facimus objectum impossibile.

VII. Lata Fidem inter hæreticam est hæc in re disparitas.

VIII. Nihil creditur Fide divinâ propter connexionem cum re revelatâ.

Non solum ad divinam veritatem, ut sint vera, quia partialiter tantum sequuntur ad revelationem, multo minus ut sint de Fide.

objiciunt aliqui, nempe ad Dei veritatem spectare ut ea omnia sint vera, quae sequuntur ex revelatis: dico hoc tantum verum esse de iis, quae ad praemissam, seu propositionem revelatam solam sequuntur, horum quippe veritas adhaerent pendet à testimonio & veracitate divinâ, & consequenter necesse est ut ea sint vera, alioqui multum detraheretur divinæ auctoritati. Si verò aliquid sequatur, non propter solam propositionem revelatam, sed ob praemissam naturalem, nihil derogatur auctoritati divinæ, si conclusio ex hac parte deficiat, & sit falsa. Deinde aliud est conclusionem esse veram, aliud eam esse de Fide.

SECTIO SEPTIMA.

Conclusio circa difficultatem illationis ex unâ vel utraque praemissâ de Fide.

I. Negat Molina has conclusiones, etiam si ab Ecclesia definitur esse de Fide.

PATER Molina 1. parte, quæst. 1. artic. 2. Disp. 1. & 2. ita negat objectum conclusionis ex unâ praemissâ de Fide, & alterâ naturali evidenter esse de Fide, ut etiam si conclusio illa definitur ab Ecclesia, neget nihilominus eam esse de Fide, nec unquam excedere certitudinem conclusionis Theologicae. Ratio ipsius est: Ecclesia enim, inquit, non habet novas revelationes, ac proinde facere nequit de Fide id quod antea non erat de Fide. Quare Ecclesia definitionem ad hoc solum deservire ait, ut nimirum certò constet rem illam esse certam de Fide, saltem mediâtè.

II. Quicquid ab Ecclesia definitur est de Fide immediatè.

Hæc tamen Molinæ sententia nullo modo est amplectenda. Dicendum itaque, quantumvis aliquid antea virtualiter tantum contentum fuerit in revelatis, accedente tamen definitione Ecclesiae, non mediâtè tantum & virtualiter, sed immediâtè & formaliter esse de Fide. Ratio est, nam, ut supra Disp. 5. dixi, quicquid Ecclesia definit Deus dicit per Ecclesiam, si ergo Ecclesia hujusmodi aliquam conclusionem definiat, Deus per Ecclesiam, quæ vox est & instrumentum Dei, idem loquitur, & eandem nobis veritatem credendam proponit, sicque non minus est de Fide, quam alii Fidei articuli.

Quod Ecclesia definit Deus dicit per Ecclesiam.

III. Proponitur Ecclesiae tanquam prima quoad nos regula credendi.

Confirmatur: Ex communi enim consensu Theologorum Ecclesiae definitio tanquam prima ponitur quoad nos regula assentiendi rei alicui fide divinâ, & quicquid ab eâ reprobat, censetur hæreticum, ergo ejus sanctiones sunt de Fide, & ut tales ab omnibus agnoscendæ. Quare, ut supra vidimus, S. Gregorius libro primo Epistoliarum, cap. 14. prope finem, quatuor prima Concilia (quorum singula Ecclesiam representabant) haberi voluit tanquam quatuor Evangelia, parisque cum iis auctoritatis. Unde Disputatione illâ quintâ ostendi Ecclesiam in definiendo esse infallibilem, quam proinde S. Paulus vocat *columnam & firmamentum veritatis*. Hinc Sanctus Augustinus: *Evangelio, inquit, non crediderem, nisi Ecclesiam moveret auctoritas*. Hoc etiam probat communis usus & praxis Ecclesiae: in solemnibus enim Fidei professione dicimus nos omnia à Conciliis definita credere, idque eodem modo ac alios Fidei articulos in eadem formulâ, seu Fidei professione contentos,

Ecclesia est columna & firmamentum veritatis.

Ad fundamentum Molinæ supra, num. 9. positum dicunt aliqui, Ecclesiam ad hæc definienda non habere novam revelationem, sed hæc antea fuisse revelata, saltem confusè, quamvis ut sequentur ex illâ praemissâ de Fide, & alterâ naturali, non sint de Fide. Communis quippe, inquit, est Theologorum sententia, Deum absolute nihil de novo revelare, sed jam solùm explicatius & explicitè tradi, quod antea tradebatur confusè, & implicite: ita Lugo hic, Disputat. 1. Sect. 13. num. 270.

IV. Quorundam circa definitiones Ecclesiae responsa rejicitur.

At sanè hoc concedere Molinæ videtur quod intendit, nempe nihil per definitionem Ecclesiae esse de Fide, quod antea non erat de Fide, saltem confusè, hoc autem negat Lugo, ut supra dictum est. Dicendum ergo id quod antea non erat de Fide formaliter, etiam confusè, fieri de Fide formaliter per Ecclesiae definitionem, & Ecclesiam, quamvis non habeat novas revelationes simpliciter, seu quoad veritates capitales, habere tamen novas illuminationes seu illustrationes secundum quid: ut fusè declaratum est Disputatione quintâ, Sectione secundâ, num. 5. 6. & septimo.

V. Novas aliquas revelationes in quibusdam quo pacto habeat Ecclesia.

Quinta Conclusio: Objectum conclusionis deductæ ex duabus praemissis revelatis, est de Fide, & talis, ut si debite proponatur, assensu Fidei divinæ credi possit: ita ex antiquioribus Scotus, Ockamus, Aureolus, Vega etiam, Canus, & alii: idem docet Vasquez supra citatus, Suarez hic, Disp. 3. sect. 11. n. 6. Coninek Disp. 9. dub. 9. num. 119. Lugo hic, Disp. 1. sect. 13. num. 279. & alii contra Molinam 1. part. quæst. 1. art. 2. Valentiam hic, quæst. 1. punct. 1. §. *Quod si querat*. Et tomo primo, Disputatione primâ, quæst. 1. puncto primo, Lorcam Disp. 6. Turrianum Disp. 3. dub. 3. & alios.

VI. Objectum conclusionis secunde ad duas praemissas de Fide, esse de Fide.

Declaratur & probatur Conclusio: In his exempli gratia & similibus syllogismis, Omnes quibus Christus dedit potestatem absolvendi à peccatis, eam verè habuerunt, sed Christus hanc potestatem dedit S. Petro, ergo S. Petrus eam verè habuit: item Apostoli omnes acceperunt Spiritum Sanctum, S. Matthæus fuit Apostolus, ergo S. Matthæus accepit Spiritum Sanctum: in his, inquam, & similibus syllogismis totum objectum contentum in conclusione est revelatum, continetur siquidem expressè in duabus praemissis, cum in iis expressè habetur, beatus, & S. Matthæum fuisse Apostolum, & omnes Apostolos accepisse Spiritum Sanctum. Cum ergo quicquid est revelatum sit de Fide, necessarium est objectum hujus conclusionis esse de Fide.

VII. Ostenditur objectum conclusionis ex duabus praemissis de Fide, esse de Fide.

Hoc objectum est revelatum, ergo est de Fide.

Sexta Conclusio: His tamen non obstantibus, si conclusio hæc fumatur reduplicativè seu formaliter ut est conclusio, & ut deducitur ex praemissis, actus, inquam, iste non est actus Fidei: quamvis enim totum objectum materiale sit de Fide, ut diximus, sicque ex hac parte nihil desit, totum tamen objectum formale non est testimonium divinum, seu auctoritas ejus & revelatio; conclusioni namque illi assentimur partialiter propter formam syllogisticam, & connexionem objecti praemissarum formaliter cum objecto conclusionis, quæ tamen Deus non revelavit: de quo fusè supra, Sectione primâ & secundâ. Quare hæc conclusio non est actus Fidei, sed tantum conclusio Theologica.

VIII. Actus tamen hic conclusionis non est actus Fidei, sed conclusio Theologica.